



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd districtus iudex ad iudicium veniens peccatorem videat, vt seriat,
non vt saluet. ciiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

vocentur: tamen ex eo quod hanc seruitutem corruptionis patiuntur, adhuc iugo seruitutis addicti sunt: accepturi plenam filiorum Dei libertatem, dum corruptibile hoc iuderit incorruptionem. Nunc Deus per speculum agnoscitur: in futuro autem quisque electus facie ad faciem presentabitur, ut ipsam speciem contempletur, quam nunc per speculum videre conatur. In hac vita electorum numerum ad dexteram pertinentium, & reproborum qui ad sinistra ituri sunt, ecclesiam Dei compleri: in fine autem seculi zizaniam à frumento disungi.

Quod districtus iudex ad iudicium veniens peccatorem videat, ut feriat, non ut saluet. Cap. CIII.

Gregor. in suis moralibus dicit. **I**N iudicium quidem dominus veniens peccatorem videt, ut feriat, sed non videt ut ad largiendam salutis gratiam recognoscat. Culpas examinat: & vitam pereuntium ignorat.

Quod Deus ad iudicium veniat ad ferendum videns, & ad saluandum non videns. Cap. CV.

Gregor. in suis moralibus dicit. **D**istrictus iudex ad iudicium veniet, & ad saluandum non videns, ad ferendum videns: quia quem in presenti vita dispensationis suae miseratione non respicit, respiciendo postmodum per iusticiam extinguit. Nunc enim peccator quisque dum non metuit, & viuit, & blasphemat & proficit: quia scilicet misericors creator quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire: Sicut scriptum est: Dissimulans peccata hominum propter penitentiam. Sed tunc peccator cum respicitur non subsistit: quia cum districtus iudex merita subtiliter inquirat, res ad tormenta non sufficit. Quavis hoc etiam iustorum voci congruit: quorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt metuunt, dum cautè considerant, ante quantum iudicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constructi sunt propriae infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, & contra haec exaggerant bona gratiae conditoris. Considerant prava quae districtè iudicet, bona opera quam subtiliter penset: & perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate iudicentur. Quia hoc ipsum quoque quod iuste videmur viuere, culpa est, si vitam nostram cum iudicat, hanc apud se diuina misericordia non excusat.